

020

018

024

014

029

009

069

119

519

Ende

Anfang

9

quibus est respectus longe lateque per Aegyptum et tota amoenitas  
naturalis non artificialis est in loco isto, quod mirum est apud  
me, quod non numeratur inter paradisos terrestres, qui sex ab  
autoribus ponuntur, sicut patebit. Huic domui adhaeret fons beatissimae  
Virginis Mariae, de cuius ortu et virtute nunc inferam.  
Dicunt enim historiae, fontem hunc non semper ibi fuisse, sed  
miraculose erupisse subito (77 a). Dum enim Joseph Virginem  
Mariam cum puerο Jesu de terra Israel fugiens per desertum in  
siti et defectu maximo usque huc in Busirim venisset, transivit  
Joseph de domo ad domum, aquae potum postulans pro puerο et  
Virgine, sed nemo illi dabat, habebant tamen in domibus aquarum  
copiam, quia Nilus non longe ibi decurrit, a quo juxta Aegyptiorum  
morem aquam in amphoris et hydriis afferebant et reservabant.  
Cumque Joseph vacuus tristis rediisset, Virgo Maria pro puerο  
sollicita orabat. Ea autem orante, ecce, ad latus gloriosae Mariae  
Virginis fons vivus erupit, de quo Virgo Maria puerο et sibi aquam,  
haud dubium sanissimam, hausit et Joseph ex ea sumsit ad usum  
ciborum parandorum suae sacrae familiolae. Demum cibo et potu  
sumto Virgo gloriosa puerum ibi balneavit et involuenta ejus lavit.  
Mansit autem ibi perennis aquae fluxus; nam ante adventum beatae  
Mariae aqua illa sub isto loco per cataractas terrae cursum suum  
habuit, in adventu autem ejus ad orationem suam terra inspissata  
fuit et finem cataractae fecit; nec ultra procedere valuit, nec  
propter aquas sequentes retrocedere. Unde repente terram rupit,  
et emanavit fontemque perennis aquae fecit. Porro aqua emanans  
decurrebat in proximum sub loco agrum, et quantae virtutis esset,  
vel quantam virtutem accepisset, ab eo, qui in ea balneatus primo  
fuerat, effectus subsequens ostendit. Statim enim in ipso agro  
pullulare coepерunt cespites balsami et in arbusta usque profecer-  
runt, ut patebit. Unde bene potest dici fons hortorum et puteus  
aquarum viventium, quae fluunt impetu, non de Libano, sed de  
profundo.

Praeter hoc autem, quod fons dicitur beatae Virginis, a non-  
nullis nominatur fons solis, quia regio illa balsamitica secundum  
Avicenam nominatur oculus solis, et fons ille est quasi lacrima  
oculi solis. Insuper judaica perfidia, semper rodens beatissimae  
Virginis gloriam, hunc fontem nominat fontem Joseph. Dicunt  
enim, quod in illo loco Joseph occurserit patri suo Jacob venienti

